DEi Gratia Guilielmus Iuliacensium / Cliuorum et Montensium Dux / Comes Marchiae et Rauenßburgi / Dominus in Rauenstein / ꝛc. Notum facimus / Cum in Statutis Collegiatae Ecclesiae nostrae Monasterij Eiffliae / per Reuerendum Casparum Groperum *I. V.* Doctorem / sacri Palatij causarum auditorem / Nuncium Apostolicum / correctis iam et confirmatis / ac per nos quoque approbatis / veteres consuetudines plerisque in locis allegatae quidem sint / sed non expressae: Ne igitur futuris temporibus error inde oriatur seu cõtrouersia / et quicquam iuri ac aequitati repugnans pro veteri consuetudine inducatur / sicque noui demuo abusus irrepant / praemissas allegatas cõsuetudines in sequentem redigi formam fecimus / quae vna cum correctis iam Statutis in posterum seruari / et transgredi neutiquam debent / non obstante / si cum veteribus vsque quaque non cõueniant / quod ad tollendos abusus quaedã in ijsdem immutare necessitas omnino postulauerit.

CIRCA ARTICVLVM IN STA-tutis de officio Praepositi.

PRaepositus in Natali Domini et octaua Epiphaniae post Vesperas propinat vinum cum placentis in Refectorio / vbi absque iuru et ebricitate modeste et sobrie aliquantisper viuitur. Capitulo etiam quotannis quatuor marcas numerat.

CIRCA ART. DE OFFICIO DECANI.

DEcanus praeter suam septimanam ad celebrationem Missarum obligatur in quatuor principalib. festis/Epiphaniae/Palmarũ/Ascensionis/omnibus festiuitatibus B. Mariae virginis/Omnium sanctorum/et in festo Patronorum SS. Chrysanti et Darij. Ad Synodum proficiscenti Cellarius sumptus pro triduo necessarios persoluit/proprio tamen vtitur equo. Ex decimis in Nocten in singulos annos Capitulo quinquaginta maldra speltae/tres marcas et decem solidos soluere tenetur. In die Stephani propinat vinum cum placetis in Refectorio/sicut supra circa offic. praepositi refertur.

CIRCA ART. DE OFFICIO Scholastici.

CUm Scholastici annuum salariũ pro qualitate officij hactenus nimis fuerit exile/quatuor maldra siliginis et totidem auenae Decanus et Capitulum ipsi adijciant.

CIRCA ART. DE OFFICIO Thesaurarij seu Custodis.

THesaurarius seu Custos ex decimis in Scheuen (quam Ecclesiã ipse quoque confert) in festo Paschae cereum magnum/ in die Purificationis Mariae singulis Canonicis cereum mediam libram continentem/ et in quadragesima ijsdem cereum plicatum/ insuper toto anno omnes cereos et luminaria pro necessitate chori/parua et magna subministrat. Pro lampadibus sufficiens oleum procurat/ sic vt in choro vna / ante chorum duae/et ante Patronos vna die noctuque continue/ quinta vero in medio Ecclesiae nocturno saltem tempore/ ardeant.

DECLARATIO.

CIRCA ART. DE CANONICIS nouitijs, & annis expectantiæ.

Anonicus nouitius in prima acceptatione possessionis ad fabricam/ornamenta aut alias Ecclesiae necessitates soluit viginti florenos aureos Rhenens. Aedituo quatuor aureos Coloniens. In ingressu aũt in suum Canonicatum aut residentiã quatuor florenos aureos Rhenens. similiter ad Ecclesiae fabricã. Praeterea nullis alijs sumtibus grauatur. Ex fabricae ediuerso obuentionibus Canonicis demortuis/ iuxta cuiusque ordinem cõpetentia subministrãtur ornamenta. Praebenda siue per obitũ/siue resignationẽ vacante/Canonici sacerdotalium biennũ/ reliqui omnes quinquennium et Mensem expectant. Permutationis via Canonicatum obtinens praeter supradictũ tempus annum adhuc expectat/quem tamen vigintiquinque aureis Rhenens. redimere potest/residẽtiam nihilominus pari ratiõe ac legibus vt alij nouitij perficiet. Subueniunt tamen huic /prout et ei cui per resignationem praebenda obuenit / anni quos suus compermutans aut resignans expectauit.

CIRCA ART. DE QVOTIDIAN. DISTRIB.

Irca distributiones quotidianas subsequẽs hactenus obseruata est cõsuetudo / vt anno in tres Mensiũ classes diuiso/septembri scilicet/Octob. Nouemb. et Decemb. pro prima: Januario/ Februario / Martio et Aprili pro altera: Maio vero Junio / Julio et Augusto pro tertia: Collegij etiam fructibus in tria frumentorum genera / speltam videlicet/siliginem et auenam distributis/ Canonicus in prima classe in Matutinis et laudibus praesens vno quartali/vulgariter ein firdell speltae: in Summa itidem Missa et Vesperis coniunctim tantundem/in Completorio denarijs sex/in minoribus vero horis quatuor gaudeat. Vicarij in minorib. horis

Canonicis sunt aequales/et in summa Missa sex ijs cedunt denarij. Similis ratio in secunda classe circa siliginem/ et in tertia circa auenam/vt supra de spelta seruatur/ sic tamen / vt circa siliginem medietas saltem spelta et auenae mensurae praedictis Horis et officijs promereatur. Insuper cum in qualibet classe decem seruentur festa Decanalia cuilibet Canonico in vnoquoque horum quinta pars maldri/vulgariter ein sumbery/eius generis frumenti quod in eadem classe praesentibus vt supradictum competit/ cedit. Praeter haec cum singulis septimanis (si sint negotia) duo celebrentur dies Capitulares / feria quarta nimirum et feria sexta finitis Matutinis/ne caetera diuina impediantur/ praesentes in ijsdem quoque mense dimidiatum maldrum eius frumenti quod in qualibet classe vt praedictum solui solet/promerentur/quos productus Capitularia appellant. In Memorijs piorum hominum Canonici et Vicarij praesentes eadem gaudent portione.

CIRCA ART. DE INCORPORATA-rum Ecclesiarum Rectoribus.

QVandoquidem in multis Ecclesijs ornamenta deficere constat/ singuli qui incorporatis praeficiuntur Ecclesijs / quatuor florenos aureos Rhenenses pro ijsdem mox in aggressu soluent.

CIRCA ART. DE OFFICIO AEDITVI.

AEdituus nocturno tempore/ ipse/ vel alius per eum constitutus/ vna cum matriculario in Ecclesia locis consuetis pernoctat. Pro salario a Capitulo in singulos annos tredecim plus minus maldra siliginis / et sex maldra auenae recipit / praeterea medietatem eius quod Canonico et Memorijs defunctorum cedit/participat/eam in frumentis quã pecunijs/vino quoque et duobus trienci quart. Reffes campanarũ suis sumtibus procurat.

DECLARATIO.

CIRCA ART. DE ANNO GRATIAE.

CAnonicus vita defunctus gaudet corpore praebendae/cum omnibus et singulis fructibus/distributionibus quotidianis/et alijs obuentionibus illius anni in quo mortuus est/ cõputando a die obitus vsque ad diem eiusdem mensis anni sequentis.

CIRCA ART. DE AEDIBVS Capitularibus.

IEstae cum hortis ad easdem pertinentibus/Canonici demortui Executoribus medium annum adhuc remanent/quo elapso/domus inter Canonicos qui ea carent/ plus offerenti venditur/ quod precium termino a Capitulo praefixo solutum ad fabricam applicatur. Emptor insuper cuilibet Canonico praesenti soluit sex rotatos alb. Decanatus proprias aedes habet/pro quarum iure Decanus nouitius Capitulo triginta aureos Rhenenses/ pro Memorijs erogandis persoluit. Scholasticus qui peculiares etiam habet/ratione sui officij easdem gratis obtinet.

Datae sub secreto nostro Sigillo ex arce Dusseldorpensi Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto / die xv. Mensis Augusti.

1576/52

Lu. 55 We